

## Primi Ethicorum

## Folio xii

decenter. Quies enim est somnus anime secundum quod dicitur studiosa et prava. Veruntamen si quo paulatim pertranscunt quidem motuum. et ita meliora fiunt fantasmata studiosorum quam quorumlibet. Sed de hijs igitur sufficienter et nutritivum igitur relinquendum. quoniam humane virtutis ex parte innata est. Videtur utique et alia quedam natura anime irrationabilis esse participans quidem ratione aliquantulum. Incontinentis enim et continentis rationem habens laudamus. Recte enim et ad optima deprecatur ratio. Videtur autem in ipsa aliud quidem preter rationem innatam esse quod aduercatur et obuiat rationi firmiter enim quemadmodum dissoluite corporis particule in dexteram precelegentium mouere in sinistra praveferuntur et in anima sic ad contraria enim motus incontinentium. Sed in corporibus quidem videmus quod peruerso motus est. in anima vero non videmus. fortassis autem nihil minus et in anima existimandum esse aliquid preter rationem contrarias huic et obuians qualiter autem alterum nihil differt. Ratione autem et hec videtur participare quemadmodum diximus obedit igitur rationi quod continentis. Amplius autem fortassis subiectius est quod sobrius et fortis. omnia enim consonant rationi. Videtur utique et irrationabile. Dupliciter plantatum quidem enim nequaquam communicat ratione. Concupiscibile vero et vniuersaliter appetibile participat aliquantulum secundum quod exaudibile est ei et obaudibile. Ita utique et patris et amicorum dicitur habere rationem et non quemadmodum mathematicorum. Quoniam suadetur aliquantulum a ratione rationabile nunciatur et suasio et omnis increpatione et deprecatio. Si autem oportet et hoc dicere habere rationem duplex erit et habes rationem hoc quidem principaliter et in seipso

hoc autem quemadmodum parte audibile aliquid. Determinatur autem virtus secundum differentiam hec dicimus enim harum has quidem intellectuales has autem morales sapientium quidem et intellectum et prudentiam intellectuales. liberalitatem autem et sobrietatem morales. Dicitur enim de moribus non dicimus quoniam sapiens et intelligens: sed quoniam mitis vel sobrius laudamus autem et sapientem secundum habitum. habitum autem laudabiles virtutes dicimus.

**Queritur** <sup>de</sup> decimo tertio. Utrum appetitus sensitivus aduercatur rationi. Arguitur primo quod non: quia ut habetur in textu. appetitus sensitivus natus est audire rationem et sibi obedire. ergo non aduercatur rationi. Secundo sic. ratio dominatur appetitui sensitivo. ut habetur primo politice. ergo appetitus sensitivus non aduercatur rationi. In oppositum est philosophus in textu

**Sciendum** Est quod postquam philosophus de terminavit de felicitate. consequenter determinat de virtutibus. Et primo probat quod ad morale spectat determinare de virtute. et hoc duplici ratione. Prima est: cuius est cognoscere finem. cuius est cognoscere media ad illum finem. Sed morale est cognoscere felicitatem. quod cuius est cognoscere virtutes. que sunt media ad felicitatem. Secunda ratio. politicus maxime studet et laborat circa virtutem. quia intendit facere cives bonos et legibus obedientes. Sed consideratio presentis scientie pertinet ad politica. quia in hac scientia traduntur principia politica. quod ad hanc scientiam pertinet considerare de virtute non tamen de qualibet. sed de virtute humana que est virtus anime. Ex istis infert philosophus. quod ad moralem spectat cognitio anime non tamen qualitercumque. sed quantum sufficit ad propositum. Primam partem probat philosophus. quia sicut se habet medicus ad considerandum de corpore cuius sanitatem inquit. sic se habet moralis ad considerandum de anima cuius virtutem inquit. sed medicus considerat corpus. ergo et moralis considerat animam. Secundam partem probat philosophus: quod determinans re de anima plusquam requirat presens intentio esset oppositum illius quam requirat presens negotium. Aduertendum quod tres sunt partes anime: Una est vegetativa seu plantativa. alia est sensitiva et alia intellectiva. Et secundum hoc triplex est appetitus: scilicet naturalis. sensitivus. et intellectivus. Et sensitivus dividitur in irascibile et concupiscibilem.

**Conclusio prima**

Potentia vegetativa non est humana. neque nata est obedire rationi. Prima pars patet quia sola potentia dicitur humana que est aliquo modo propria homini. Sed ista pars est communis omnibus viventibus. ergo non est humana. Secunda ratio. rectus. illa potentia non est humana que maxime operatur in sompnis. sed vegetativa est huiusmodi. quia recurrente calore naturali ad interiora dum animal dormit digestio melius celebratur ergo illa potentia non est humana. Ideo proverbiale dicitur. quod felices non differunt a miseris nisi secundum dimidiam vite quod est sompnus quia in sompno illa pars que est ab operatione secundum quam homo dicitur bonus vel malus